



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

7. Num totæ sint in terris Pygmæorum nationes?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

cidisse. Ita res diuinis potius, quam humanis viribus ascri-
 bebatur. Quid non dictum, quid non cantatum, quid non fa-
 ctum, qui non erecti arcus triumphales, qui non applausus,
 quæ non acclamationes excitatæ fuissent, si Saul rex sua ipsius
 manu huic gigantem prostrauisset? Nunc autem palam agni-
 tum est, *in nomine Domini* caesum exprobatorem, fugatos ho-
 stes, victoriam obtentam fuisse. Et maior est gloria, per par-
 uum posse patrare magna. Hoc pacto, etiam posterioribus
 sæculis, Edgarus Britannorum rex statura pusillus, Rinardum
 Scotorum regem staturæ paruitatem sibi exprobrantem ad sin-
 gulare certamen prouocans, ei ostendit, virtute se, non sorte
 electum regnare. Et Iouius in vita Baiazetis I. refert, à Galea-
 cio Gonzaga, statura admodum pusillo, itidem singulari cer-
 tamine, superatum esse Caroli VI. regis marschalcum Bucic-
 aldim Gallum, hominem gigantem magnitudinis; qui ea-
 propter voto se obstrinxit, arma se amplius non induturum.

Fulgos. lib. 3.
 cap. 7.

VII.

Plin. l. 7. c. 2.
 nat. hist.

Tam magnus cum sit in paruis Deus, laudandus est eti-
 am ab illis terræ Indiæ partibus, in quibus *Spithamæ Pygmaei*
narrantur, ternas Spithamas longitudine, hoc est, ternos dorsantis
non excedentes, salubri celo, semperq; vernante, montibus ab Aegia-
lone oppositis: quos à gruibus infestari Homerus quoq; prodidit. Fa-
ma est, insidentes arietum caprarumq; dorsis armatos sagittis, veris
tempore, uniuerso agmine ad mare descendere, & oua pullosq; earum
alium consumere: ternis expeditionem eam mensibus confici, aliter
futuris grecibus non resisti. Casas eorum luto pennisq; & animum
putaminibus construi. Scholiastes in tertium Iliados scribit eos
 in extrema parte Ægypti, Aristoteles in Æthiopiæ regione
 Troglodytica habitare, subireque cauernas, & ob eam causam
 Troglodytas vocari, fabulamque esse negat, quod vulgò
 de statura eorum deque pugna cum gruibus fertur. Homerus
 & Strabo Æthiopiæ illis partem tribuunt, Mela Arabiam.
 Quod quidam tradunt, eorum mulieres quinto anno parere,
 senescere octavo, vel, teste Alberto Magno, *triennio gignere,*
ostennes mori, ut adeò breuitas vitæ breuitati staturæ respon-
deat, fabulam olet, cum nos quinquaginta & sexaginta annorum
pumilos spithamæos viderimus, qui et si non probant esse

Aristot. lib 8
 de hist. ani-
 mal c. 12.

Vide Lud. Vi-
 uem in lib 16

S. Aug de ci-
 uit. c. 8.

Mela. l. 3 c. 4.

Albert. Mag.
 lib 7. anim. l.
 tract. 1. c. 6.

certum

certam similitum masculorum & femellarum nationem; saltem euincunt, talem esse posse. Quæ si est, à Deo est ad Mundi ornatum varietatemque facta. Siquidem *vnus est Creator omnipotens, & rex potens, & metuendus nimis*, qui sapientiam suam effudit super omnia opera sua, & super omnem carnem, secundum datum suum. Igitur, quicumque vis sapere, *Iustifica pusillum & magnum similiter*. Magna sunt cæli decora sol & luna, sed minus ornata esset illa domus beatorum, si non etiam minoribus ignibus vndique exsplenderet.

Hic ornatus enormi etiam proceritate perficitur: adeo vt à satrapis multis, iridem inter exquisita, gigantes ingenti prodigalitate alantur. Omitto ceteros, infra inferendos, hic sufficiet *Maximilianus Cæsar*, qui, An. 1511. vt loquitur *Surius*, comitia indixit, apud *Augustam*, ubi illi oblatum est vir quidam prodigiosa vastitatis & crassitudinis, atq; incredibilis ingluuiis: ita vt integrum vitulum crudum, vel ouem incoctam vna deuoraret; & tamen necdum famem expletam diceret. Ferunt hominem *Borealis regionibus* orsum fuisse, ubi, ob locorum frigora, solent homines esse educiores. Similem refert *Zonaras* mulierem *Thracem*, sub *Iustino* extitisse. Ad elegantiam aulæ, & curiositatem conuenarum hi gigantes erant; vt & ille, (si fabulosus non est) qui à *Solino* dicitur repertus cubitorum trium atque triginta: & illi *India* populi, qui adeo proceri sunt, vt *Elephantos* velut equos facillima insultatione transiliant. Vt autem ea præteream, quæ *Thomas Fazelli* auctoris scribit, de gigantibus eorumq; origine, quàm multa stupendæ magnitudinis ossa in *Sicilia* reperta sint; neque ea huc reponam, quæ ex *Philostrato* alijsq; solent recenseri de gigantis cuiusdam cadauere, quod duodecim, & alterius quod viginti duorum, & tertij quod triginta cubitorum fuisse fertur, enormitatis iridem propemodum fidem superantis: certè *D. Augustinus* testatur, se vidisse, in littore *Vticensi* molarem gigantis dentem, adeo magnum, vt dissectus ad formam & magnitudinem vsitatorum nostra ætate dentium centuplo maior potuerit iudicari. Quare vtique & gigas ille, cuius dens tantus est repertus, centuplo maior fuit quàm homines, nostra ætate, vsitati.

Eccli. 1. 8.

Eccli. 5. 18.

VIII.

Surius in
Commento,
Anno 1511.

Zonaras in
Iustino.
Solin. c. 4. &
cap. 25 De
maiore puella
vide Vinc.
lib. 31 c. 125.
Thom. Faz.
dec. 1. lib. 1.
c. 6. & dec. 2.
lib. 1. cap. de
rebus Siculis.

S. Augustinus
lib. 19. de ciuit.
uit. c. 9.

ti. Si